

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CXI. Continens Gravem Exhortationem Ad Poenitentiam, Exemplis
Galilaeorum à Pilato, Et Judaeorum, Ruina Turris, Occisorum, Atque
Parabola De Ficu Sterili. Luc. 13. v. 1.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT CXI

CONTINENS GRAVEM EXHORTATIONEM AD POENITENTIAM, EXEMPLIS GALILÆORUM à PILATO, ET IUDÆORUM, RUINA TURRIS, OCCISORUM, ATQUE PARABOLA DE FICU STERILI. LUC. 13. v. 1.

RATIO ORDINIS.



Continuatio ordinis hic manifesta est. Discerte enim testatur Evangelista, hunc Galilæorum interitum Christo relatum fuisse *en eipw tō kairotō eodem illo tempore* quo discipulis suis & populo de poenitentia tanta severitate concionatus fuerat. Nam & signa adduxerat, unde auditores colligere debeant, singulis imminere illum diem, quo ad justum Dei tribunal fisci, & omnium suorum factorum rationem reddere debeant. Utque tanto plus terreret, parabolam creditoris & debitoris, qua ostendit, contumaces procrastinatores æternum exitium manere. Hoc *quidam* audientes, Domino è vestigio illum Galilæorum interitum narrant, hoc quasi exemplo ostensuri, haud dubie execrandam fuisse istorum Galilæorum impietatem, quam Deus tam atroci & novo supplicii genere, puniendam judicavit. Solent enim homines primum aliena peccata acutius videre, cupidius

aliis narrare, atrocius exaggerare, quam propria vel aspicere: postea etiam solent secundum poenæ gravitatem peccati quantitatem æstimare, seque quandoquidem divina ultio ipsis parcat, pro innocentibus æstimare. Et sane non raro Deus gravibus iudicii sui exemplis peccatorum atrocitatem aliis ob oculos ponere, sicque ipsos ad eorundem odium excitare solet. Sed quia pleriq; exempla illa vel non attendant, vel perperam pro affectu suo interpretantur. Ideo Christus hic generalem ejusmodi iudiciorum Dei usum ministrat, nimirum & debitorum Deo iis nos ad poenitentiam excitare velit.

Potest exgo hujus loci nostra ætate maximus esse usus; siquidem exempla divinorum iudiciorum passim sunt crebra, quæ tamen plerique vel secure negligunt, vel proximo insultandi, imo etiam alios calumniandi, occasionem inde arripiunt: pauci (quod tamen omnes facere debebant) vitæ rectius instituendæ documentum inde petunt.

EXHORTATIO AD POENITENTIAM, OB DEI PATIENTIAM.

LUC. 13.

1. Παρήσαν ἢ τινες ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ ἀπαγγέλλοντες αὐτῷ περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὡν τὸ αἷμα Πιλάτου ἐμίχθη μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν.
2. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς, δοκεῖτε, ὅτι οἱ Γαλιλαῖοι ἔσται ἀμαρτωλοὶ ὡς οἱ πάντες τὰς Γαλιλαίας ἐγένοντο, ὅτι τοιαῦτα πεπόνθασιν;
3. Οὐχί, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' εἰάν μὴ μετανοήτε, πάντες οὕτως ἀπολείεσθε.
4. Ἡ ἐκεῖνοι οἱ δέκα καὶ ὀκτὼ, ἐφ' ἃς ἐπέσεν ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς δοκεῖτε, ὅτι ἔσται ὀφειλέται ἐγένοντο ὡς οἱ πάντες ἀνθρώπων τὸς κατοικούντας ἐν Ἱερουσαλὴμ;
5. Οὐχί, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' εἰάν μὴ μετανοήτε, πάντες ομοίως ἀπολείεσθε.
6. Ἐλεγε ἢ ταῦτιν πλὴν ὡς ἡβολῶν. Συκὴν ἦχε τις ἐν τῷ ἀμπελῶνι αὐτῆς πεφυτευμένῃ, καὶ ἦλθε καρπὸν ζητῶν ἐν αὐτῇ, καὶ εἶχεν εὐρεῖν.
7. Εἶπε ἢ πρὸς τὸν ἀμπελουργόν, ἰδὲ, κεία ἐτή ἐρχομαι ζητῶν καρπῶν ἐν τῇ συκῇ ταύτῃ, καὶ εἶχεν εὐρεῖν σκῆ, ἐκκοψὼν αὐτὴν, ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ;
8. Ὁ δ' ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ, κύριε, ἀφες αὐτῷ ἕως τῆς τοῦ ἐπιτοῦ, ἕως ὅτε σκάσω περὶ αὐτῆς, καὶ ἐβάλω κοπρίαν.
9. Καὶ μὲν ποιήσῃ καρπῶν. εἰ ἢ μήγε, εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψεις αὐτὴν.

1. Aderant autem quidam eodem in tempore, nunciantes illi de Galileis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis ipsorum.
2. Et respondens Jesus dixit illis, putatis, quod hi Galilæi pro cunctis Galileis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?
3. Non, dico vobis: imo nisi resipueritis omnes similiter peribitis.
4. Aut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloam & occidit eos, putatis, quod debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes Hierosolymis.
5. Non, dico vobis, imo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.
6. Dicebat autem hanc similitudinem, Arborem sici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit querens fructum in illa, & non invenit.
7. Dixit autem ad cultorem vineæ, ecce anni tres sunt, ex quo venio, querens fructum in sici hac, & non invenio, succide illam, ad quid vel terram occupat?
8. At illo respondens dixit illi: Domine, sine illam & hoc anno, donec fodero circum illam, & misero ster-cus.
9. Et siquidem fecerit fructum: sin minus in posterum succides eam.

Periocha hujus exhortationis.

DE horum Galilæorum quorum sanguinem Pilatus miscerat cum sacrificiis ipsorum, peccato plerique curiose inquirunt: nec tamen certa aliqua peccati species, sive ex sacra sive prophana historia, adduci potest. Cyrillus quidem & Theophilactus cum Euthymio existimant eos fuisse sectatores Judæ illius Galilæi, cujus Gamaliel Act. 5. v. 37. mentionem facit. Ipsi vero ejus dogmata absurda hæc referunt: quod docuerit, nullum hominem Dominum esse appellandum: non debere Judæos tributa solvere Imperatori Romano: nec pro Romanis sacrificia offerre. Ob hæc Pilatum ipsis indignatum, jussisse ipsos interficere inter sacrificandum. Hæc tamen incerta sunt. Hoc vero certum, quod Galilæi semper, sicuti id ex Josepho colligere licet, ad seditiones proni fuerint. Insatiabili enim cupiditate ardebant reparandæ libertatis, quam per Romanos amiserant. Verisimile itaque est, ipsorum quosdam de vindicanda libertate conspirasse, atque fœdus iniisse, utque res omnis tanto felicius succederet, illud à sacrificiis & re divina (ut in fœderibus fieri solet) auspiciatos fuisse. Ubi Pilatus tanquam Romanus præses, ex improvise superveniens cum militibus, seditiosos illos crudeliter occiderit, sicque & ipsorum & pecudum sanguinem miscuerit atque inter se confuderit. Ut enim sacrificium ipsorum tanto magis abominabile redderet, humanum sanguinem affudit. Sicuti Josias 2. Reg. 23. v. 16. ossa sacerdotum in altari Bethelis combussit, ut sic altare pollueret. Hinc illi, qui hæc Christo retulerunt, & absque dubio Judæi fuerunt, inferre voluerunt, istis seditiosis hanc commonefactionem de agenda pœnitentia necessariam fuisse, siquidem præ aliis maximi fuerint peccatores. Cupiunt ergo Domini audire judicium, non tam de Pilati facto, quam de aeterno Galilæorum interitu.

Est enim hæc humani ingenii depravatio, ut, si quando Deus in puniendis quorundam peccatis juxta severitatis exemplum edit, illi, quibus istud refertur, bifariam (ut modo quoque dictum est) judicio errare soleant. Primo, quod acerrimi sunt censores in illorum peccatis examinandis & traducandis, quibus etiam non raro insultant, & *βεβαιον* divinam justissima ultione illa persecutam fuisse affirmant. Deinde, ex impunitate, qua ipsi fruuntur, conjiciunt, suos mores & vitam Deo probari, seque ipsi præ aliis charos atque gratos esse. Nulli in mentem venit, talia exempla à Deo aliis ob oculos statui, ut in se descendant seque ipsos examinent, an non in similibus aut etiam majoribus labantur ipsi. Quapropter talia exempla ipsos ad pœnitentiam excitare debebant, ne graviorebus pœnis & ipsi involvantur. Verum *φιλαυτιας* vitium plerosque excæcat, ut de eo parum vel etiam nihil cogitent. Quapropter Christus sua responsione verum usum ejusmodi exemplorum nunc edocebit.

Dicit enim: *Putatis quod hi Galilæi pro cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia sunt passi?* Verba per se sunt manifesta, & ipse quoque iensus planus est. Vult dicere: Seditiosos istos peccatores fuisse maximos, qui graviter & Deum & magistratum

offenderint, extra omnem est controversiam. Ad proinde supplicium, quod sustinuerunt iustum est, atque iustitiam ab ipsi promeritum. Verum enim verò vos, qui hujus crudelitatis vel spectatores fuitis, vel ad quorum aures fama ejus pervenit, non debetis inde occasionem lumere ipsorum infelicitati insultandi, neque tam in ipsorum quam in propria peccata inquirendi. Etenim dico vobis, *nisi respueritis, omnes similiter peribitis.* Quod dicendo Christus non vult simpliciter prædicere, ipsos omnes eodem mortis genere perituros ut etiam ipsorum sanguis cum victimis miscetur: Sed tantum indicat, ipsos quoque ex inopinato crudeliter & male interituros. Et ut Dominus amplius eos moveat, addit etiam alterum exemplum. Erat Hierosolymis rivulus, sive fons, *Siloa* nomine, faciens piscinam, ut infra ex Joh. 9. v. 7. audimus. Ad illam ædificata erat *turris* aquæductui per urbem inserviens, ut patet ex Jer. 7. v. 3. Hæc turris conciderat & octodecim viros occiderat. De his Christus similiter infert, ipsos nequaquam præ aliis civibus Hierosolymitanis *ἰφειλέτας* sive *debitores* fuisse. Hoc enim vocabulo in præsentia utitur, ut innuat, omnes homines legi divinæ debere obedientiam, & hanc si non præstent obligatos esse ad pœnam. Consimile ergo exitium manere omnes, nisi mature suis concionibus permoti serio de agenda pœnitentia cogitent. Atque sic utrosque, tam Judæos quam Galilæos, conjungit, graviter ipsos monens, ut pœnitentiam agant, nisi utriusque miserabiliter perire velint. Et quod hoc in loco Christus impenitentibus minatur, illud post quadraginta annos impletum est. Tum enim Titus Romanorum Imperator urbem in ipso paschatis festo oblivione cinxit, & urbe capta quamplurimos Judæos impenitentes inter sacrificandum occidit. Quemadmodum quoque turris Siloa octodecim illos viros ruina sua oppressit; sic etiam plerique Judæorum inter ruinas perierunt. Et hoc tunc illud verbum Domini: *omnes similiter peribitis.*

Docet hac sua responsione Salvator noster, si quando tragici & improvise casus accidunt, quorum communis vita plena est, qualiter & de illis judicare, & iisdem ad nostram ædificationem uti debeamus. Quoad judicium, non debemus illud præcipitare, ut temere damnemus eos, qui sic tragice perierunt; nisi incurabilis ipsorum impietas & finalis contumacia adversus Deum infallibilibus argumentis sit perfecta. Non novum enim est, quod judicium Dei incipit à domo ipsius. 1. Pet. 4. v. 17. Sancto & patientiæ titulo celebri Jobo decem liberi una die ruina domus perire. Job. 1. v. 19. Si quis eos propterea satanæ tradere voluisset, certe misere afflictio patri afflictionem impie addidisset. Ulus autem ejusmodi exemplorum hic esto: ut, quando quidem coram Deo omnes sumus peccatores, & cum Davide dicere cogimur: si iniquitates observaveris Domine, Domine quis subsistet? Ps. 130. v. 3. eo diligentius vitam & mores nostros excutiamus, ne fortassis similia aut etiam graviora vitia in nobis deprehendamus. Ac proinde pœnitentiam agamus, ne Deus etiam in nobis puniendis justitiam suam exercere cogatur.

Nisi

Nisi enim Deus istiusmodi exemplis iram suam etiam erga alios manifestare veller, occulte peccata punire poterat. Itaque quando videmus, quomodo Deus sive hos sive illos puniat bello, direptionibus, peste, fame, dissensionibus, non tam in eorum mores & studia inquiramus, ut veras peccatorum causas deprehendamus, quam in nos ipsos descendamus, & si consimiles mores apud nos inveniamus, eos corrigamus, ne eadem mala etiam nos justo Dei iudicio premere incipiant. Breviter, ejusmodi tragici & improvisi casus sunt exempla iræ divinæ, monentia singulos de suis peccatis, ut poenitentiam agant. Non simus otiosi spectatores, non curiosi censores, multo minus impii insultatores: sed de nostra emendatione cogitemus. Etenim iisdem vel similibus, vel etiam majoribus peccatis sumus obnoxii. Ex his etiam patet, quo sine & quo fructu veteres historiarum sint legenda. Omnia convertantur ad nostri ædificationem.

Ruina *Turris Silo*, quæ ex opinato viros decem & octo occidit nos monere debet, ut piè, & in continua poenitentia vitam transigamus. Siquidem ferè mors nos præoccupare solet, quando minime eam cavemus. Quapropter indefinenter animum præparatum habeamus. Heli domi suæ sedit in sella ociosus, quo loco securior animi videri non poterat: & tamen de illa decidit, cervicem fregit, atque mortuus est. 1. Sam. 4. v. 18. Ammon filius Davidis convivio affidet in domo fratris sui & trucidatur: 2. Sam. 13. v. 29. Sic in media vita morte circumdati sumus. Imo, tanta vitæ nostræ cum morte familiaritas est, ut homo vivere nequeat, nisi morte aliorum sustentetur. Animalibus terrestribus, aquatilibus, & volatilibus moriendum est, si homo ali & vivere debeat. Quid ergo est o homo, quod mortem miraris, quod mortem metuis, cum morte aliorum vivas, morte aliorum sustentaris, vivendo moriaris, & moriendo vivas? Et tu homo quid aliud es, quam vitæ consumptor, temporis phantasma, lethi hospes, mortis principium, & viator transiens, ut piè quidam scripsit?

II. Quia in præcedentibus Dominus interitum minatus fuerat omnibus, qui non agerent poenitentiam: ideo rem illam parabola nunc illustrat, qua omnibus ante oculos quasi spectandum ponit, quomodo longanimitas & bonitas Dei homines ad poenitentiam expectet, ne in die iræ & revelationis justii iudicii sui omnem suam iram contra ipsos effundere cogatur, Rom. 2. v. 4. Parabola ipsa per se satis plana est. Vineam hanc denotare Ecclesiam Dei, notum est tum ex Jes. 5. v. 1. Matth. 20. v. 1. tum ex aliis locis. In hac vinea est vitis unica Dominus noster Jesus Christus, cui nos omnes ceu palmites inseri & implantari oportet, si fructum ad vitam æternam afferre velimus. Joh. 15. v. 1. In vineis vero vitatores interdum etiam plantatas arbores habent, quas tolerant, si generosos & gratos fructus ferant: sin vero sint steriles, nullum fructum ferant, umbra sua vitibus noceant, & succum terræ inaniter attrahant, tum bonus agricola tales arbores non fert. Sic Deus in sua Ecclesia non vult ferre inutilia terræ pondera, quæ tantum bona & dona Ecclesie ad serapere conantur, nec ullum fructum sive fidei

sive charitatis pariunt, quo vel Dei honor illustretur, vel alii ad fidem adducantur: sed tantum exemplo suo nocent, & aliis scandalum præbent. De tali arbore cœlestis paterfamilias cultori vineæ mandat dat, ut jam excindat, quia *τὸ γῆν καταργεῖ*, hoc est, *inutili pondere terram onerat*, à qua succum sine fructu trahit. Non tamen Deus mox & absque omni mora hanc suam sententiam præcipitat, sed Ecclesiam suam, quam singulari providentiæ suæ cura complectitur, frequenter invisit, & per tres annos venit querens fructum. His verbis exprimere vult Dominus divitiis bonitatis & longanimitatis Dei, quæ tanta sit, ut licet Deus sapius spe sua quo ad emendationem hominum frustreretur: non tamen è vestigio securim excisionis stringat, & infrugiferas arbores in ignem abjiciat, sed patienter earum emendationem expectet. Possunt enim in arboribus extraneæ aliqua causa accidere, ob quas arbor, natura non sterilis, ad unum atque alterum annum tamen in ferendo fructu impediatur. Quando vero Deus post talem moram apertam & confirmatam animi impietatem deprehendit, tum patientia ipsius in iram convertitur, ut eam impunitam dimittere non possit.

Ibi vero etiam latam sententiam adhuc ad tempus remoratur *ἀμπελουργός* cultor vineæ Dominus noster Jesus Christus. Hic enim à Patre datus est Ecclesie & cultor & cultus. Is sedens ad dextram Patris interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. & apparet vultu Dei pro nobis. Hebr. 9. v. 24. dicens adhuc hodie: Pater, dimitte illis hanc noxam. Non enim sciunt, quid faciunt, Luc. 23. v. 34. Interponit autem duas condiciones, quibus rigorem justitiæ divinæ temperat: unam ex sua parte, qua vult circum illam fodere & stercores mittere: alteram ex parte arboris, si non ferat fructum, ut tamen succidat eam. Fossio & stercoreum missio variis modis fiunt. Fossio quidem fit docendo, monendo, increpando ex verbo Dei, precando, crucem immittendo & aliis consimilibus modis, quibus animi hominum à terrenis rebus avocantur. Etenim qui fossam facit circum arborem, ille terram extrahit, humilitatem ingerit, radices purgat, cavet ne præfocata arbori ariditatem pariant, & terram habilem facit ad suscipiendam pluviam salutarem. Sic Christus sarculo verbi sui & spatula afflictionum fodit circa cor nostrum, & in eo radicem fidei purgat, desiderium terrenorum removet, humilitatem animi inducit, sicque mentes hominum ad virtutem spiritus ipsius suscipiendam, quæ Ps. 68, 10. imber Domini benignus dicitur, habiles facit. Stercoratio autem fit, quando lapsis peccata (quæ non immerito propter futilitatem & fœditatem stercoreis conferuntur) in memoriam revocantur, ut cum Davide ex Plal. 51. v. 5. dicant: peccatum meum contra me est semper: quorum abominatione permoveantur, ut spiritus sancti gratiam implorent, per quam ad ferendos fructus fecundi reddantur. Ut, quemadmodum prius apud ipsos abundavit delictum, sic postea superabundet gratia. Hæc est conditio ex parte coloni. Altera conditio ex parte arboris est, siquidem fecerit fructus, hic subintelligendum est, tum dimittes eam, & fines ulterius terram occupare. *Sin minus, in posterum succides eam.* Neque enim Christus impro-

improbiorum hominum, qui ex incurabili malitia peccant, patronus esse vult: quin potius sic cum talibus agit, ut tandem proprio ore, se damnationem probe commeritos esse confiteri cogantur.

Docet hæc parabola. 1. Dei erga nos peccatores longanimum expectationem & desiderium salutis nostræ, ut qui pietatis opera à nobis requirat tanquam fructum aliquem, ex quo tamen ad ipsum Deum minus accedit utilitatis, quam ad nos ipsos. 2. Christi intercessione fieri, quod non illico puniuntur, qui sceleribus suis id merentur. Hoc ut consolationem nobis addit: ita etiam ad gratiarum actionem erga hunc intercessorem excitare debet: atque insuper nos cohibere, ne de cuiusquã salute temere desperemus, cum Christi intercessione etiam in ultima mortis hora quis converti possit. 3. Deum Patrem non velle perpetuo parcere sterilibus arboribus in sua vinea. Sive enim hypocritæ sint, sive palam impie vivant, qui Ecclesiæ loca inutiliter occupant: tamen si suo exemplo aliis noceant; aut sua prophanitate religionem in contemptum adducant, iustum Dei iudicium non effugient. 4. Verbi ministros & animarum pastores decere, ut ad imitationem Christi consimili studio & cura auditores suos ad ferendos Deo bonorum operum fructus adducant; nimirum sacrosancto verbo plantent & rigent, peccatorum fœditatem ipsis ob oculos ponant, pro ipsis orent, ut sic eos iræ Dei subtrahant, & ad æternam salutem promoveant.

Cæterum quibus & quomodo hæc parabola apte commendari possit, per se quoque satis apertum est. Siquidem eam & publice integris populis & privatim singulis hominibus applicare licet. Et quidem primum Judæos intrugiferam hanc ficum fuisse, nimis vere dicitur. Hæc enim fuit vinea, quam Dominus de Ægypto transtulit in terram Chanaan, eiecit Gentes & plantavit illam. Psal. 80. v. 9. Hanc vineam visitavit Deus *tribus annis*: per quos annos intelligere possumus, vel triplicem illam gubernationem, quæ in isto populo à Deo fuit instituta. Quarum prima fuit iudicium, altera Regum, ante transmigrationem in Babylonem: tertia Pontificum post reditum ex Babylone. Vel triplicem illam visitationem, qua Deus populum hunc invisit, & ad ferendos fructus excitavit: primo promulgatione legis per

Mosen, qua Deus ipsis præscripsit opera, quibus ipsi gratos fructus in Ecclesia, in Politia & œconomia asserere possent. Deinde cum sacerdotes in custodienda lege negligentibus essent, extraordinarie excitavit Prophetas, qui divino zelo tam sacerdotes ipsos, quam populum officii sui admonuerunt. Denique misit unigenitum filium suum, qui cum continuis sermonibus, tum stupendis miraculis univèrsam gentem ad veram pietatem extimulavit. Quin & per *tres annos* illos non inepte intelligere possumus triennium illud, quod Christus jam insumerat, quo per omnem terram pertransierat docendo, benefaciendo, & sanando omnes à Diabolo oppressos. Act. 10. v. 38. Et tamen in his visitationibus omnibus Deus expectatione sua fuit frustratus. Licet enim aliqui fuerint inventi, qui se Deo probarunt: plurimorum tamen malorum impietas paucorum probitatem sic obfuscavit, ut hi respectu illorum quasi in nullum censum venerint.

Si vero quis gentibus, aut certo alicui populo hanc parabolam accommodare velit; tum *tres* illos divinæ visitationis *annos* potest interpretari. 1. legem naturæ. 2. legem Moysi scriptam. 3. prædicationem Evangelii, quæ omnia Deus in eum finem gentibus etiam communicavit, ut eorum adminiculo ad verum Dei cultum & omnia pietatis officia instituerentur. Vel potest quis attendere speciales Dei visitationes in aliqua gente sive urbe, quibus Deus aliquos eripuit ex gentilismo, alios ex tenebris Papatus, vel ex crassis erroribus, & dedit purioris doctrinæ lucem, in qua si homines vitam & mores suos non emendant, sibi ipsis extremum exitum non minus attrahent, quam Judæi sibi attraxerunt.

Si denique ad singulas personas privatim hanc parabolam quis transferre velit: Attendat & indicet, quomodo Deus per omnem vitam, primum in pueritia, deinde in juventute, tertio in virili ætate, apud quosdam etiam in ultima senectâ post multiplicem culturam à parentibus, à præceptoribus, à verbi ministris impensam, apud ipsos fructus pietatis quæsierit, nec tamen invenerit. Si ergo intrugiferi esse perrexerint, & tales mors deprehendet, actum fore de ipsis, quia tum excindendi & in ignem infernalem abijcendi sint.

C A P U T CXII.

CONTINENS HISTORIAM SATANÆ MULIERIS CONTRACTÆ IN SABBATO, ET DEFENSIONEM ILLIUS FACTI CONTRA ARCHISYNAGOGUM. LUC. 13. v. 10.

R A T I O O R D I N I S.

HÆC historia ut recto, ita etiam comodo ordine ad priorem sequitur. Egit in præcedenti Christus de ficu sterili, quæ lata quidem folia ostentaret: fructus autem raros vel etiam nullos pro-

ferret. Qua de causa circum illam fodere & sterco mittere, sicque ipsam ad ferendos fructus provocare velle. Jam ergo vineam Domini, synagogam Judaicam, ingreditur, docendo arbores intrugiferas rigat, & in Archisynagogo exemplum sterilitatis illius